



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tuba Tragica, Seu Historiæ Horroris Plenæ Dominicis Per
Annum Concionatorio ritu aptatæ, Quibus ad oculum
ostenditur, quàm acribus pœnis flagitia proscindat
scelerum Ultor Deus**

Selhamer, Christoph

Norinbergæ, Anno Gratiaë M.DC.XCIX.

Concio XXVII. Dom. II. post Pent. Ilias malorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52721)

CONCIO XXVII.
DOMINICA II. POST
PENT.

Uxorem duxi. Luc. 14.

Ilias Malorum.

MAjus jugum ac ponderosius crux non datur sub sole
AA. quam jugum connubiale, quod virum inter
& fœminam vi vinculi conjugalis intercedit, ab
utroque paribus humeris ferendum, donec altera
compars tumultum irruat. Hanc thesin partim in
Tub. Analog. hist. hodie, partim in Tub. Clem. festo S. Andreae
abundè probavi. Hipponactes Solphista dicere auditus est,
conjuges binis tantum diebus serenis ac deliciosis gaudere,
primum diem esse nuptialem, quo die omnia deliciis inundant:
alterum esse diem funeream, qua vel maritus vel uxor ædibus
efertur tumulo inferendum funus; *reliqui dies omnes sunt
arumnis oppleti.* S. Greg. Nyss. (1) Statum conjugalem mari
comparat, in quod omnes alæ aquæ, fontes & torrentes
refluunt; *ita sanè in conjugio omnium calamitatum nomina
reperias.* Hac ratio fuit, cur olim apud Ethnicos gentiles
festo nuptiali undique in ædibus scuta & lorica muro appen-
derentur; innuebant hoc ritu, qui conjugio ligari velit, plu-
ribus scutis & loricis armandum esse; unum non sufficere,
ut omnes possint ærumnæ conjugio annexæ sustineri. Ita
jussit Salomon, ut in lib. Reg. (2) legimus, ducenta scuta
totaliter aurea regiis è muris suspendi: *posuit ducenta scuta
ex auro purissimo.* His patientiæ scutis tunc vel maximè opus
est, si vel virum vel feminam spiritus zelotypiæ corripuit.
Majus malum conjugatos infestare non potest, quam si hæc
æmulatio thorum connubialem irrepit, ubi osor unitatis dæ-
mon diu noctuque talem suspicionis flammam plus ultra in-
cendit

A.
Jugum
matrimo-
niale est
gravissi-
mum.

(1) S. Aug.
Nyss. l. de
Virg. c. 13.

B.
Est om-
nium cala-
mitatum
scutina.

(2) 3. Reg.
10.

(3) Cant. 4. cendit & insufflat. S. Script. (3) comparat Zelotypiam ipsi orco *dura sicut infernus amulatio*. Sit connubium vivax potius paradifus, at grassante Zelotypia, in orcum migrat paradifus pessima metamorphosi. Tertul. (4) disertè meminit, omnem patientiam requiri, ut femina virum Zelotypum, vir vero Zelotypam uxorem suam sustineat. Rogatus olim Protegoras Sophista, cur filiam suam hosti suo acerrimo nuptui tradidisset, paucis reposuit, *quia nihili ei dare poteram, deterius*. Sic probè ultus sum injuriam mihi ab hoste meo illatam; mihi ei dare poteram deterius, quàm filiam meam. Novi enim intus, ut ajunt, & in cute; procarì & lupari, vagari & graccari cunis didicit, & nihil unquam se passa est dedoceri; sic hosti meo perpetim erit cum filia mea luctandum, lucrò permèdicò. Corripiet eum Zelotypia, & animos rancor irruet, ut centies mori malit, quàm ita feroci belluæ convivere. Abi sciat nonnemo, quanta malorum ilias ipsum sit in conjugio exceptura, antè citeriorem peteret Ægyptum, quàm se hoc gordiò constringi pateretur. Sciat pariter femina, quotuplex vix sub connubio delitescat, nunquam sanè auream libertatem Cræsiopibus divenderet. Sisto hodie in hac periocha, & ostendo, quantò jugò uterque conjugum prematur, si opè dæmonis alterutrum impetat Zelotypia. Assumo hunc in finem veri nominis tragœdiam, quam quidem Aventinus suam in Hist. Boica fusè describit; at nollem hanc tragœdiam in publicum producere, si solus eam luci dedisset Aventinus. Multa narrat Aventinus sine basi, sine fundo & fundamine; idè viri hujus testimonium tanti non est. Ita nempe prudentibus & sagacibus ingeniis, veri studiosis passim exprobat calamus ille, qui alterius in gratiam veritati parcit. Sic fides perditur, atque id ipsum sæpè, quod re ipsa verum est, in dubium vocatur, quia hæc dixit ille & ille fucorum propolauceps gratiarum, sanctæ veritatis politicus vespillo. De historia nemo dubitet. Scripsit eam præter Aventinum Virum celeberrimus Author Raderus (7) in Bav. sua, qui solus expleat omnium auctoritatem.

C.
Ilias malorum est Zelotypia. Probatur per Ludovicum Boiurum Hist.

(5) Vit. Ebersperg in an. 1255.
(6) Hund. in Metrop. 215.
(7) Rader. in Bav. Sanct. 212.

Annò Domini 1266. Ludovicus Severus Bojorum Dux Comes

Comes Palatinus Rheni in Conjugem accepit Mariam, Land-
 gravii Hassiæ & Thuringiæ filiam. Erat hæc Virgo non tan-
 tum formâ, sed moribus etiam ac virtutibus pretiosa. Fuit
 sat diu lætum ac felix Matrimonium hoc, plus ultra felicitan-
 dum, modo domi manere potuisset Ludovicus. Rarò sine
 damno, sine infortunio suam domi solitudinem tuentur con-
 juges, Viris interim foris grassantibus. Utrinque rerum discrimina
 mille simile connubium infestant, ut nuperrimè monui 3.
 Dom. post Pascha Tubæ hujus. Hoc ex capite præsens
 etiam conjugium irruit *alias malorum*. Infestabant tunc tempo-
 ris Rhenum magnò numero truculenti prædones; unde nec
 tuta erant itinera, nec ulterius ruri contra prædatricem hanc
 luem sua poterant ruculæ tueri. Ut ergò prædones illos
 Rhenò proscriberent, & in tuto Rhenanos locarent, urbes
 Rhenò adsitæ cum Ludovico Bavaro fœdus sanciebant, vi
 cujus totas provinciæ suæ vires ad Rhenum deduxit, &
 in nefastos tenebriores ita feliciter armis irruit, ut
 plerosque vel mactaret vel in fugam profligaret. Rhenanis
 pristina tranquillitate reddita & restituta pace. Agebat sex-
 tum ac vigesimum annum ætatis suæ Ludovicus, cum ad
 Rhenum magnò viarum intervallò à Boica distinctus contra
 prædones stygios militaret, Conjuge sua interim Donowertam
 collocata. Usus est hæc Conjugum distantia dæmon, & sta-
 tuit eos inter enorme incendium suscitare, non nisi fuso sanguine
 sopiendum. Exarabat Maria Ludovici absentis Conjux data
 opportunitate commoda binas literas, primas Ludovico suo,
 alteras Ructoni Comiti, ex Wittelspachii stirpe prognato
 ac omnium primo Aulæ Palatino, sanguine Duci juncto in-
 scriptas; cum autem omnium literarum rudis esset nuntius
 studiò literas discriminauit, ad Maritum datas rubra cerâ
 signabat, ad Comitem destinatos nigra cerâ occludebat. His
 literis Ruchoni decretis nil præter salutem, & iteratas pro
 acceptis beneficiis grates Maria commiserat; illi enim post
 Deum in acceptis retulit nobiles Nuptias cum Ludovico Boico
 celebratas. Non sine causâ literæ ad Ruchonem cerâ obsignatæ
 sunt nigricante, rubrâ verò ad Ludovicum exaratæ. Poterat
 hinc omen ac præsagium defumi grandis tragœdiæ his è literis

Kk

pro-

D.
 Scintilla
 modica
 grande i-
 incendium
 suscitatur.

prognascituræ, & fundendi curoris. Cùm itineris terminum Nuntius attigisset, ordinem litterarum invertit, & literas Ruchoni deputatas obtulit Ludovico, Ludovico inscriptas tradidit Ruchoni. Hem levem scintillam, quæ tamen in enorme incendium erupit. Quot in litteris Ruchoni deputatis sed per errorem nuntii ad Ludovici manum devolutis, erant apices & puncta, tot piceos & stramineos fascies, ac ligna foco ampliando stygius suggestit Alastor. Animus præceps Ludovici & effervescens ætas non poterat primos motus reprimere, quin lectis litteris novos ignes excoqueret. Quid hoc? in- quiebat secum, nunquid hæc manus propria Conjugis meæ? nunquid hoc sigillum est Ducissæ? Siccine Ruchoni scribit me negligit? quid mali à me conjux mea, ut aulae meæ Palatinum plus diligat quàm meipsum? Hunc animo gliscerent focum ita sedulo dæmon fovit & reaccendit, ut tandem in horribile incendium & luctuosissimam tragœdiam exposceret. Decrevit ocius Ludovicus irâ verè fulmineâ correptus, atrocissima ultione injuriam, ut credebat, thoro regio per Ruchonem illatam vindicare. Primus in quem Ducis furor desæviit, erat nuntius, quem tanquam lenonem & seductorem, licet actu esset innocens, iussit capite truncari Ludovicus. O stygia suspicio! *quia non mortalia cogis pectora?* quas & quantas clades & strages moliris? Non potuit unò satò prædominans furor tranquillari; plùs ultra in obvios grassatus, plures etiam ex domesticis fidei corripuit & confecit. Nuntio prorsus innocuo præcipitanter occisò, novis furoribus à tetra styge succensus Princeps, relictis castris, belli duætoribus insalutatis, negotiis publicis procul à se rejectis, equis citatissimis, tribus tantùm stipatus, Donawerdam excurrit, ac præter omnium expectationem, irâ æstuans & vindictâ arcem irruit. Horrebant omnes ad omnem ferociam præter morem compositos vultus, ignari, unde tantos irarum focos animò concepisset. Hæc inter summa cum expectatione observant tremuli, quem exitum tam ferox animò ebulliens furor esset sortiturus; currit inter alios obviam Principi suo promptè obsequia sua delaturus arcis præfectus, & ecce vit innocens, vitæ integer scelerisque purus, mox satellitibus tradi-

E.
Ira præci-
pitis mala
horrida,

traditur coram maſtandus, quaſi ſua cum conjugē colluſiſſet, ut fracta thori fide ſpurios amores ſectaretur. Tertium funus erat ipſa Conjug, cui cum paucia impia cum Ruchone commercia exprobraſſet, ferrum pariter in hanc expediri juſſit; excuſabat ſe Maria humi fuſa Divum hominumque fidem implorabat, ſum innocentiam teſtatura, unum id Ducem ac Maritum orabat, ne iram tam præcipiti in cædem rueret infantis, daret animo ſpatium, in alterum diem iudicium cauſæ prorogaret; at clauſæ erant ambæ aures obſtrepente ira; conjugē fruſtra orante, tota aula fruſtra deprecante, ocius in mandatis dedit ſpiculatori, ut adulteræ conjugis caput ferro percuteret, & caput ejus à cervicibus reſecaret. Sic iræ ruit victima innocens Maria, quâ impenſiſſimè ſemper dilexiſſe viſus eſt Ludovicus. Erunt, nî fallor, hæc quamplurimi, qui Divinæ providentiæ mirabilem ordinem obſtupeſcant dicantque: cur quæſo juſtus Deus tot innocentes acerba morte tolli permiſit? cur horum innocentiam non detexit? non defendit?

Opt. AA. Idem de Martyribus dici poteſt aut cogitari: cur tot millia pro fide paſſus eſt trucidari? ita nempe ſuos è terris in cælos juſtum ac pium Numen ſublimat; ita ſuis poſt nubila phœbum largitur, poſt tot acerba vitæ hujus tormenta gloriam & immortalē coronam; ſic pariter Mariam tam atroces injurias æquanimiter paſſam ad cælos evocavit, ubi hodie alios inter Baviaræ ſanctos Cœlites, quibus actu annumeratam Mariam Raderus prædicat, gratiâ & gloriâ triumphat, Boicæ Patrona. Ludovicum contra tot cædibus cruentum trahere voluit Clemens Deus ad vitam, dignis pœnitentiæ fruictibus comparandam, aliis omnibus ad cautelam tot innocuos proſcindi paſſus, ut malò diſcerent alienò, iram reprimere, & dum intus in animo gliſcit furor, nihil aggredi. Jam ergo triplex homicidium, imò quid triplex dico, jam multiplex homicidium patravit Ludovicus; cum enim nuntium occideret, unà etiam pauperem illius uxorem ac liberos interemit, qui ſe, nuntio è vivis exemptò, alere non poterant. Cum arcis præfectum virum Nobilem ac innocentem maſtaret, unà nobiliſſimam illius Conjugem ac reſiduam prolem viſus eſt trucidare. Ah nunquid tanto ſanguine ſedari debuit

K k 2

furor?

F.
Cur tot
innocentes
cædi
paſſus eſt
Deus?

furor? at potius oleum credas irarum foco affusum, unde flamma crevit immensum. Non stetit hæc inter funera furor barbarus & truculentus. Cum obviam haberet Helicam nobilem gynæcei Virginem, hanc tanquam mutua familiaritatis cum Rucho contractæ consciam, pugione transverberavit ipse Princeps; tandem pari funeris castrò percitus etiam Aulæ præfectam lectissimam & innocentissimam matronam ex alta turri præcipitem agi iussit. Solus Rucho cognito errore & Principis iterata cæde monitus, salvus abiit & excessit, ubique tam suam quam cæsa Conjugis innocentiam verbis, lacrimis & publicis tabulis contestatus. At quid Ludovico accedit tot cædibus eruento? prima nocte cædem secuta tantis curarum fluctibus agi cepit Ludovicus, ut non tantum capere somnum non posset, sed urgentibus caesorum manibus totam noctem inter assiduos metus & horrores exigeret, ita quidem, ut qui tum primus & vigesimum agebat ætatis annum, sole orto totus canesceret & septuagenario majorem seniculum referret. Perspexit insuper nimis iræ truculentiam & iterati facinoris horridam immanitatem; erubuit tot malis pressus, & vox faucibus hæc attonito parricidæ. Ita nempe quæ futura sunt raro præspicimus; quæ malè acta sunt tunc primùm exhorrescimus & execramur, cum factum infectum fieri nequit. O quoties in ira dicuntur, in ira excuduntur, quorum paulò post sibi redditos subeat pœnitudo. Visis tot funeribus, vix seipsum ex tanta scelerum atrocitate sustinuit. Singulis cadaveribus tumulo illitis exanime Corpus Conjugis suo S. Crucis Templo Donaverit commisit, ipse vero habitu peregrini assumpto Romam ad summum Pont. Alex. 4 tum pedes contendit, delicti multiplicem veniam à Clemente Deo per illius in terris Vicarium exoraturus.

Discant à Ludovico temerariæ suspicioni, præfessio judicio, ac prædominanti iræ omnem aditum in præcordiis obserare, omnes soluti & vel maximè connubiali vinculo ligati conjuges. Discant à Ludovico, nullum unquam reum pronuntiare, nisi pars delatè probè prius sit audita. Datum fuisse nuntio, vel verbulo innocentiam tueri, sole clarius patuisset quam impia judicia excoqueret Ludovicus. Dedisset locum justis precibus caesorum, & in alterum diem scelus vanis ex litens depromptum transtulisset, omnia & singula prius ad trutinam

G.
Ludovici
fera pœni-
tudo.

vocasset, aut de perfidia suspectos quæstioni seriæ coram testibus subiecisset, innocuos cæcorum mores manibus palpasset Ludovicus. Jam verò ut iræ grassanti se totum permisit, cædes cædibus auxit, unde nihil restaret aliud quàm perennis infamia, & constans pœnitudo. Pro faciendâ satisfactiõne iussus est à Summo Pont. Patribus Carthusianis in Boicâ cœnobium extruere; at cùm in tota provincia tunc temporis nullum esset ordinis huius monasterium, mutata Pontificis mente notioribus Patribus de Cisterzo seu Bernardinis in campo principi vulgò Fürstensefeld nobile claustrum erexit & dotavit. Jacet propè in medio Monachium inter Boicæ Regiam & Augustam Vindelicorum Urbem Imperialem. Vix ædificium absolvit, pio etiam fato Ludovicus concessit. En quàm verè dictum sit per antiquos: parva sæpè scintilla grande incendium excitavit. Hic pauca aliquot lineolæ literis insertæ, hebes nuntius & epistolorum transmutatio tantam poterant tragœdiam maturare, alibi sæpè prægrandem iram inflammat jovialis facetia, nuntus oculorum perperam explicatus, sermo improvidus, cui nimis propra fides defertur. Caveant proin ipsi conjuges, ne alteri vel minimam præbeant occasionem, aliquid pravi de ipsis suspicandi, multò magis caveant, ne ipsi ob minimam causam de altera comparte sua vel vicino ita properè suspicentur. Id maxime conjugatis observandum esse, pridem monuit (9) Hier. his verbis: *crebra munuscula & sudariola & fasciolas & vestes eri applicitas, ac degustatos cibos blandas & dulces literulas, sanctius Amor non habet.* Ex his potius aliquid spurix Venenis eruitur, similia multis vitâ steterunt mortali. Notum est, quid S. Itæ acciderit; hæc annulum digito exutum deposuit, quem avis rapuit ex fenestra, & tandem Itæ stabularius reperit ac velut fortunæ faventis symbolū digito suo insertū gestavit. Vidit eum herus, mox crimen adulterii suspicatus, cœco impetu reum dixit famulum, eumque equi caudæ alligatum rapi per avia iussit & distrahi, conjugem verò è Tokenburgensi arce ac turri in subjectas petras præcipitari iussit; at quam Angeli susceperant, ei etiam cervus præluxit, ut prodigiosè servatam in eremum abduceret. Hic loci Deus more suo in occasionem sanctioris vitæ præcociis iræ delictum & iniquam suspicionem deduxit. Incidit tandem in hanc cœlestem prædam venatione distentus

Kk 3

conjug.

H.

Zelotypiæ
nulla de-
tur anfa.

(9) Hier.
ep. 2. ad
Nepot.

A.

Annulus
ab avicula
raptus
horridam
tragœ-
diam ex-
citavit.

Hist.

conjug, & serò nimis in tellexit, se in præcipitanda uxore, nimis præcipitem extitisse. Ah! retrò Helvetia lustretur; Deum bonum! quantam tragœdiam unicum par ligularum Bassile lapsò seculò excitavit. Vidit ex famuli pileo pendere ligula herus, quæ cum simillimæ forent illis, quas nuperrimè uxori suæ dedit, ocius irâ succensus, seruo foras profecto, nocte in tempesta gravidam uxorem confodit, inde filiam quoque vit quadrimam interemit. Mox epistolam ad Senatum scripsit, & è summa ædium suarum parte se præcipitem dedit ut ceruicem frangeret & truculentam mortem obiret. Epistola illa hæc continuit: quid tentasset, & cur vim conjugi suæ proli sibi tandem intulisset. Licet jam funus esset, de eo tamen sumptum est supplicium, & corpus ejus fractis ossibus sublimi rotæ impositum est. Sic (10) Surlus. Hem tanti potuit ruralis ligula vix obolo digna, quam suam esse credidit; quasi verò non aliis illi similis emi potuerit, aut ruralibus ex nuptiis adduci. Scimus nempe zelotypia cæco impetu abstracta nihil examinat, et musca facit elephantum, & omnia circa uxorem, aut virum in pessimam trahit suspicionem, quam instigante diabolo strages excipiat horrida; nisi tam enormibus malis maturè scias obviare. Non sine causa hanc olim legem posuit (11) Tiraquellus: *Conjuges zelotypiam tanquam pestem omnium teterrimam perniciosissimam, exitiosissimam fugiunt.* Subinde prognoscitur hæc misera æmulatio à loci genio & natura. Sic Bodinus meminit zelotypiæ vitium esse vel maximè Italis proprium & Hispanis, ubi minimum viri alieni cum alterius uxore colloquium stomachum movet marito & zelotypiam accendit: Alibi hæc æmulatio notabili vesania ortum trahit ut credant stolidæ uxores suos aliis pariter amabiles videri æquè ac ipsis; hinc nec illas salutare volunt, nec in publicum prodire, quin si templum petunt, jam metuunt, ne cornutum faciant maritum. Domum sapius vicini subintrant? jam carnos fures autumant irrepisse. Hæc cogitatio stulti peccatum est inquit (12) Sapiens. Quis diceret stultitiæ notam sæpenumerò esse zelotypiam. Alibi etiam proprio ex defectu sua non rarò principia haurit æmulatio; ita facile alteri scelus imputant, quò ipsi sordescunt. Abulensis (13) observat huic praviæ suspicionis seu zelotypiæ vitii plerumque subjectos esse viros in feminas, quàm feminas in viros. Gal-

K.

Item par
ligularum.
(10) Sur.
in Chron.
ad an. 1528
Hist.

(11) Tiraq
leg. 16.
connub.

L.

Zelotypia
ut pestis
vitetur,
unde oria-
tur?

(12) Prov.
24.

(13) Abu-
lensis, in
c. 18.
Matth.

Galenus feminas prægnantes hoc morbo affert laborare. Ut plurimum tamen si juvenes pueri ac puellæ connubiò ligantur, facilis inter eos diffidentia movetur, tunc maximè cum patulæ aures detractoribus & detractricibus exhibentur, & audita intus in animo excoquantur, non consulta parte delata. Hæc discretè sociæ parti communicarentur, millies dæmonem connubii turbatorem ambabus prehenderent. Idem periculum impari conjugio unitos attingit, ut si juvenis vetulam, vel anus rugosa ducat imberbem strobilum, senecio virgunculam. Tandem hoc malò sæpè Deus matrimonia piperat, quæ sunt contracta invitis aut insciis parentibus, aut sine pessimo. Sic luunt scelus inobedienciæ, scelus irreverentiæ in parentes commissum, licet contractum non possint invalidare; sic matrimonii abusum Deus vindicat immisso spiritu zelotypiæ, quæ heteroclitos amores in odium vertat & assiduos rancores.

At quibus modis omnibus his malis obvietur? sit inter Conjuges mutua semper ac fida communicatio eorum, quæ sunt audita &c. quæ visa. Nullus iræ locus detur, nulla suspicio sedem figat in animo, antequam discretè totum iræ objectum sit comparti detectum. Cogitetur hic & oculos nostros falli posse & aures; ut quid ergò tam propera fides deferatur: pallium in manibus lupæ à Josepho vet. test. relictum poterat reum agere Josephum, sed malè. Oculi sunt decepti. Uxor erat rea, non castissimus Josephus. Prostat hic loci omnibus exemplum ab altero novi test. Josepho profectum, qui maluit suam relinquere, quam ut sequiora urgeret, indignum se reputans tanta Virgine, quam cælum irrorasset. Discant hinc omnes hoc malò pressi firmam patientiam, olim à Deo ubertim coronandam, si hanc matrimonii Crucem exemplo S. Josephi ac sponsæ illius, exemplo S. Iræ & aliorum æquanimiter portarint.

Coronidis locò omnes illos moneo, qui matrimonii statum amplecti cogitant. Ne præproperent hoc negotium, sed totum cum Deo, cum SS. cum Angelo Custode, cum parentibus & probæ notæ hominibus transigant, ne fera pœnitudo, noxia æmulatio malorum ilias animos irruat; quod malum ab omnibus conjugandis clementissimè Deus avertat! Amen.

Concio

M.
Quomodo
tot malis
obvian
dum.